



Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gegorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1728

Quæst. An ista concessio ante lapsum anni possit revocari?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

TITULUS XIV.

De Precariis.

DECISIO LXXXVII.

De Mercatore, qui Vitrico suo Domum precario concessit ad habitandum.

SPECIES FACTI.

Theophilus Mercator duas in urbe celebri & populosa habuit aedes ad habitandum percommodas, quarum unas jure hæreditario à suo patre acquisivit, alteras verò recensu emptionis. Emptione vix per traditionem completa adiit Theophilum Vitricus, propriis aedibus destitutus, & rogavit, ut sibi concederet gratiam inhabitare noviter emptas. Indulsi Theophilus, sed post dimidii anni

lapsum ad instantiam uxoris, mercedem ex hac domo elocata avidè desiderantis, mutavit mentem, & Vitricum inde jussit migrare revocatâ domo. Noluit migrare Vitricus saltem ante integri anni lapsum, partim quia sibi Theophilus promisit se ante anni lapsum non expulsum, partim quia etiam Conductoribus saltem per annum concedi solent aedes locatæ, si petant.

QUÆSTIO.

An Theophilus jure potuerit revocare domum hanc statim post anni dimidium, precario concessam Vitrico?

Utaveris fortè, non posse; quia Precarium non finitur libera revocatione concedentis, quod eruitur Lex c. 3. b. t. ubi inter modos, quibus solvitur Precarium, recensetur quidem mors illius, cui conceditur, & alienatio, qua v. g. res precario

concessa venditur alteri, illam revocare volenti, non verò revocatio ipsius concedentis. II. à pari: Precariæ nequeunt revocari pro voluntate eas concedentis. c. 3. cit. in fin. ergo nec Precarium; quia non minus illæ, quàm istud, conceduntur ad preces, & ex gra-
S. s. 2.

gratia. III. Si finiretur libera revocatione concedentis, posset revocari omni tempore, & statim, ac res precario est concessa: sed hoc non est permittum, ut docet Covarruv. l. 3. *variar. c. 13. n. 6.* Gibalinus & alii: ergo. IV. Non revocatur Precarium morte concedentis. c. 3. *cit.* ergo nec revocatione ipsius; quia per mortem non minus cessat prior voluntas, quam fuit concessum Precarium, quam per revocationem. V. Specialiter obstat revocationi liberæ Theophili in hac facti contingentia pactum seu promissio acceptata de domo per annum integrum relinquenda Theophilo: pacta enim servari debent: ergo.

Asserendum nihilominus est, & pro certo habendum, etiam post anni dimidium revocandi ædes precario concessas Theophilo jus esse & potestatem. Ratio convincens petitur ex natura Precarii, quod est tale negotium (sive dein sit verus contractus, ut vult Donellus cum quibusdam, sive non, ut alii cum Haunoldo & Gonzalez melius sentiunt propter l. 14. ff. *b. t.* & rationem, quia nec reciprocam parit obligationem, nec dominii est translaticivum, licet inde detur actio civilis ex æquo & bono, non ex natura negotii.) est, inquam, tale negotium, quo ad preces alicujus conceditur res utenda tamdiu, quamdiu is, qui concedit, patitur. Text. & DD. in l. 1. ff. *ff. h. t. § c. fin. eod.* Gonz. in d. c. *fin. n. 3.* Haunold. *to. 4. de Just. tr. 10. n. 767.* Barb. in rubr. *hujus tit. n. 4.*

In contrarium allata aliquam fore speciem, nihil tamen soliditatis habet. Ad I. negatur *Antec.* nam revocatio concedentis comprehenditur in principio d. c. *§ l. 1.* his verbis: *Precarium utendum conceditur, quamdiu patitur, qui concessit:* quamprimum ergo is non amplius vult pati precario concessum usum, hunc adimere obtinere potest, consequenter revocare concedens. Ad II. *C. ant. N. conf.* id quod diversa Precariorum & Precarii sit natura; nam Precariæ sunt verus contractus, & quidem realis, ac bene fidei, quo rei Ecclesiastica immobilis, fere soli tantum, usus alicui ad precarium conceditur vel in perpetuum, vel ad certum tempus, eo tamen pacto, ut, si ad longius tempus facta sit concessio, supra quinquennium renovetur, fere sicut revocationem fieri oportet in emphyteusi, ubi mutatur colonus. Adeoque Precariæ pariunt jus eas obtinenti, & obligationem ante tempus præfixum revocandi ex parte concedentis, sicut contingit in emphyteusi, vel etiam feudo, quorum contractuum imitantur naturam Precariæ. In Precario contra nullum jus transfertur in obtinentem, & nulla oritur obligatio ex parte concedentis, cum merè gratis concedatur & revocabiliter ad nutum, ideo nec naturam donationis induit, quamvis sit aliquod beneficium & gratia.

Ad III. *Dist. Ma.* potest etiam fletum, atque res est precario concessa, revocari, si adsit urgens causa vel necessitas, *C. secus. N.* si enim statim & quam-

quantocyus revocaretur absque ur-
genti causa, præsumeretur dolus, & ani-
mus illudendi potius vel nocendi, quàm
beneficiendi Precarium accipienti.
Gonzal. n. 8. cum Bachovio ad Treu-
lerum, cui conspirant alii passim.
Debet igitur Precarium saltem ad ali-
quod tempus juxta arbitrium Judicis
relinqui, cui concessum est, ne prorsus
omni usu & commodo destituatur ob-
tans, & sic Precarium naturam be-
neficii, quale est, amittat; seclusâ ni-
mirum gravi & urgente causa, quæ,
si advenit, purgat præsumptionem
doli. Atque sic intelligendi sunt Co-
mmodat. & Gibalin. Ad IV. dist. Antec.
non revocatur morte concedentis,
si absolute est concessum. C. Ant. si
cum clausula, *quandiu voluero*. vel
ad *beneplacitum meum*. N. Ant. propter
c. p. de Refcr. in 6. si enim posteriori
modo concessum est, censetur con-
cessio fuisse alligata voluntati & bene-

placito concedentis, quæ voluntas
cum morte concedentis exspirat, &
sic Precarium ei alligatum pariter ex-
tinguit. Ad V. Hujusmodi pactum
& promissio, quia adverstatur naturæ
ac essentiæ Precarii, ipso Jure est nul-
la. l. 12. ff. b. t. Abb. in c. fin. eod. n. 3.
4. Molina de J. & J. tr. 2. d. 298. n. 4.
Gonz. lo. cit. n. 8. ac alii communiter.
Unde, etsi Precarium ad certum
tempus fuisset concessum, tamen ante
lapsum hujus temporis adhuc liberè
revocari posset. l. 12. cit. nisi nimirum
hujusmodi pactum adjectum efficeret
contractum alterius naturæ, v. g.
Commodatum, vel Donationem, aut
nisi saltem dubium redderet, an non
in naturam alterius contractus transi-
isset hujusmodi pactum de non revo-
cando ante certum tempus; tunc
enim, ne actus sit nullus, ita explicari
debet, ut potius sit Commodatum,
vel Donatio, quàm Precarium.

TITULUS XV.

De Commodato.

DECISIO LXXXVIII.

De Commodante equum, ante hujus usum revocan-
te illum, & Commodatario nihilominus equum non
restituente, imò abutente.

SPECIES FACTI.

Philippus Mercator, commodatò ne, ut Monachium posset excurrere
accepit equum à Jacobo Caupo- ad spectandam homagii solennitatem
S s s 3 & ali-